Diſſertatio Medica
INAUGURALIS,
De Purgantibus:

QUAM,

Annuente ſummo Numine,

Ex auctoritate reverendi admodum Viri,

GULIELMI WISHEART, S.T.D.

Univerſitatis EDINBURGENÆ *Præfecti*;

NEC NON,

Ampliſſimi Senatûs Academici, & *nobiliſſimæ* Facultatis Medicæ *decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Medicina honoribus & privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Eruditorum examini ſubjicit

MICHAEL DICKSON *Scoto-Britannus*,

Ad Diem 25 Septembris, horâ locoque ſolitis.

EDINBURGI:

In Ædibus THO. RUDDIMANNI, M. DCC. XL.

22

Illuſtriſſimo, nobiliſſimo ac potentiſſimo PRINCIPI,

CAROLO

Duci de *Queensberry* & *Dover*,

Marchioni de DUMFRIES-SHIRE & BEVERLY, Comiti de DRUMLANGRIG & SANQUHAR, Vicecomiti de NITH, TORTHORWELL & ROSS, Domino DOUGLAS de KINMONT, MIDDLEBIE & DORNOCK, Baroni de RIPPON, *&c.*

Libertatis publicæ VINDICI *ſtrenuo & indefeſſo, muſarum & bonarum artium* FAUTORI *eximio;*

Diſſertationem hanc medicam,

Qualemcunque ſtudii ſui,
& obſequii teſſeram,

D. D. C. Q.

MICH. DICKSON.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30780445

Diſſertatio Medica

INAUGURALIS,

De Purgantibus.

ÆGRITUDINES è tam variis fontibus oriuntur, ut nihil fere noverimus, unde morbus originem ducere nequeat. Non ſolum enim quæ ſuâ naturâ nociva ſunt, ſed & ea quæ ad vitam neceſſaria, blanditiaſque præbere debent, vitio hominum naturæ bonis abutentium, valetudinem perturbant: aër, alimenta, omnia ferè, morborum cauſis, quaſi ſeminibus ſatis, ſcatent. Diverſæ hæ cauſæ morbos, numero infinitos, ſede & naturâ varios, variaque phænomena exhibentes, producunt. Cum autem omnis medicinæ ſcopus ſit ſanitatem tueri, atque morbos tollere vel lenire, medici ad omnia naturæ producta confugerunt, ut numeroſiſſimæ morborum catervæ æquam remediorum cohortem opponerent. Hinc terram, ſilvas, corporaque animalium ſcrutantes, & ex ſingulis aliquid deſumentes, materiam medicam adauxerunt in molem quâ hodie graveſcit; quæ licet tyroni moleſtiam pariat (peractis ta-

men laboribus) hoc ſecum commodi affert, quòd ſingulis intentionibus plura reſpondeant remedia; unde medicamenta in claſſes, ſecundum vires quibus pollent, redacta ſunt. Sive enim laxata ſolida conſtringere velis, ſive conſtricta laxare, ſive humores vitiatâ indole peccantes corrigendi indicentur, in promptu adſunt adſtringentia, laxantia, multaque alia alterantia dicta. Si verò materies aliqua morbifica ſui evacuationem indicet, ſua cuique corporis excretorio evacuantium claſſis adaptatur; cuti ſudorifera, naribus apophlegmatizonta, ori aliiſque alia, quæ naturam levando, aut inimicum foras expellendo, ad omnes ferè morbos tollendos remedia apta exhibent. Et inter hæc quidem eminet catharticorum claſſis, ſeu κάτω purgantium, ea ſciz. quæ humorum effluxum verſus inteſtina promovet, eoque delatos per anum excernunt: vix enim occurrit morbus, cui medicamentum per alvum purgans nullum levamen adferat.

Cum itaque ſpecimen inaugurale, mihi medici honores appetenti, jam in publicum proferre incumbat; ſcopus eſto, rationem, quâ medicamenta cathartica ſuos in homine edant effectus, indagare, atque de eorum uſu in morbis tractandis breviter diſſerere.

I. CORpus humanum eſt machina hydraulica, vaſis liquores coërcentibus conflata, quæ propagine fere infinitâ, mirè intertexta, firmas totius corporis partes conſtituunt, intra quas fluidæ, in variis variæ, continentur: quæ omnia accuratè depingere huc non pertinet. Generalis verò fabricæ, & œconomiæ compagis humanæ idea viam ad ſequentia optimè ſternet.

II. Cor, muſculus validus, intra thoracem ſitum, in duas cavitates, ejus ventriculos dictas, diſtinguitur; quorum ex ſiniſtro emergit arteria totius corporis capaciſſima, ſciz. aorta, quæ citò diviſa in ramos abit, & hi iterum in alios minores ſæpius ſubdividendos finduntur; donec ultimi eouſque anguſtati, ut unum tantum rubri ſanguinis globulum tranſmittant, continuato tramite in canales reflexos, venas appellatos, tranſeunt; quæ ſenſim ſenſimque latiores devenientes, & in truncos majores coëuntes, tandem omnes ita concurrunt, ut duas magnas venas cavas dextro cordis ſpecui adnatas conſtituant.

III. Corde

III. Corde itaque validâ ſua vi muſculosâ contracto, ſanguis in aortam exprimitur: hinc per iſtius arteriæ ramos percurrens, & in omne corporis punctum advectus, partes irrigat, fovet & alit: dein ſuo munere functus, & tenuiore parte orbatus, per venas ad cordis ventriculum dextrum redit; quo contracto, per pulmonis ſubſtantiam trajicitur, ut illius viſceris actionem perpeſſus, & in thalamum cordis ſiniſtrum appulſus, aptus iterum reddatur novam circuitionem per cætera corporis vaſa ſubire; quo gyro, dum vita manet, perpetuò agitatur.

IV. Arteriæ autem minimæ ſanguiferæ, antequam in venas ſuas mutentur, ramulos laterales emittunt; qui, truncis ſuis minores, ſanguinis partes tenuiores tantum admittentes, craſſiores excludunt; ſicque liquida ſeroſa à ſanguine rubro ſecernentes, arteriæ ſeroſæ appellantur; quæ, ſolito arteriarum more, in minores fiſſæ, tandem ramos ſubtiles dimittunt, qui, lympham tenuiſſimam tantum ſuſcipientes, arteriæ lymphaticæ dici ſolent. Hæ verò iterum ſimiles vices ſubeuntes, ſubtiliori vaſorum ſeriei originem præbent, & ſic demum in minores minoreſque pergunt, donec aciem noſtri viſûs penitus eludant: finem verò tandem adeſſe ratio docet, & ſuadet has ultimas arteriolas filamentis nerveis ſimillimas devenire.

V. Ex ſeroſis hiſce lymphaticis aliiſque minimis arteriolis nonnullæ in venas analogas continuo tramite abeunt, & hæ iterum in venas ſanguiferas terminantur: aliæ autem arteriolæ, apertis orificiis, ad corporis ſuperficiem externam, aut in cavitates ejus internas hiant, ibique humores ſuos ſubtiliſſimos exhalantes, omnes corporis membranas madore perſundunt, flexileſque reddunt; dum venulæ abſorbentes bibulis orificiis humorem ſuperfluum exhauriunt, ſanguinique iterum miſcent. Harum verò arteriolarum lateralium aliæ ſecretos ſuos humores in veſiculas ſingulares eructant; quibus conſervantur, donec per ductus proprios excretorios, in uſus quoſdam neceſſarios, intra corpus exprimantur, aut quaſi noxii foras ejiciantur; quæ fabrica in glandulis præcipuè obtinet.

VI. *(a)* Harum verò glandularum quædam tam mirè fabricatæ ſunt, ut earum propria excretoria, inſtar arteriarum ferè, per

(*a*) Malpigh. de cerebro paſſim.

per totum corpus diſtribuantur. A cerebro enim cerebelloque faſciculi multi canaliculorum exiliſſimorum, communi membranâ inveſtiti, nervi appellati, egrediuntur, qui hinc uſque in omne quicquid ſit punctum totius corporis ſenſibile exporriguntur, & in illud ſuos humores ſubtiliſſimos, iis glandulis ſecretos, ſenſui partiumque motui inſervientes, advehunt. Hinc igitur conſtat ſanguinem per ſyſtema arterioſo-venoſum, § ii. deſcriptum, propelli nequire, ni ſpiritus nervoſi priùs in cor & arterias fluerent; neque rurſus cerebrum aut cerebellum hoſce ſpiritus præparare valere, ni ſanguis circinare perſiſteret: quæ actiones mirificè à ſe mutuò dependentes quantum philoſophos torquent?

VII. Vaſcula hæc arterioſa, venoſa & nervoſa, ultra imaginationem exilia, magis minùſve mutata, & diverſimodè intertexta, membranas, vaſa majora, glandulas, oſſa, & verbo, omnes, quotquot ſunt, firmas totius corporis partes conſtituunt. Intra firmas continentur fluidæ, in variis variæ: ex firmis fluidiſque hiſce fiunt omnia corporis organa, ad determinatas functiones deſtinata; quorum ἐγκέφαλον & cor ſunt quaſi duo puncta centralia, ex quibus, radiis emiſſis, cætera conſtant.

VIII. Sanguis, ex indole ſua & actionibus memoratis, perpetuò minuitur, refectione perpetuâ eget, quam ab ingeſtis, (primò in chylum, deinde in ſanguinem, mutatis,) accipit; & quoniam viſcera huic operi dicata, eorumque actiones ſpeciatim perpendere, propoſito noſtro immediatè connectitur, chylificationis rationem feſtinante oculo perluſtrabo.

IX. Ab ore uſque in anum, tubus longus alimentalis extenditur, cujus initium, pharynx dictum, ſaccus eſt amplus muſcularis, plurimis glandulis inſtructus, occupans totum ferè illud ſpatium ad poſteriora uvulæ & laryngis; ſtatim verò, poſt ejus originem, contrahitur (formâ infundibuli) in œſophagum, canalem membrano-muſcularem, qui rectà, inter tracheam arteriam & dorſi vertebras, ad inferiora thoracis tendit, per foramen in diaphragmate ſibi proprium penetrat, & ſtatim in ventriculum deſinit.

X. Ventriculus ad latus ſiniſtrum, ubi œſophagus in illum terminat, admodum capax eſt; ad dextrum verò tendens paullatim extenuatur, donec, arcto orificio, in tubum anguſtiorem, in-

inteſtina dictum, deſinat; quæ miris multiſque gyris totam ferè abdominis cavitatem implent, & abhinc uſque in anum exporriguntur.

XI. Inteſtina hæc, ab Anatomicis, in tria tenuia, duodenum ſciz. jejunum & ilium; & in totidem majora, cæcum, colon & rectum, dividuntur. A duodeni principio, uſque in cæci ſarcinam ſub dextro rene ſitam, anguſtiora redduntur: hinc colon arcuatum ſurſum ad hepar elatum infra veſiculam fellis & ventriculi fundum ad ſplenem uſque extenditur; tum deorſum ſupra ſiniſtri renis partem anteriorem vergens, ibi tandem, poſt circumflexum ſigmoidalem in rectum terminat, & hoc iterum rectâ viâ deorſum tendens in anum deſinit.

XII. Hæc omnia, (à § ix. hucuſque deſcripta) ex quatuor tunicis confecta ſunt, quarum prior & exterior ventriculo & inteſtinis à peritonæo impertitur; œſophagus autem à mediaſtino ſuam recipit. Tunica ſecunda ex fibris muſcularibus, longitudinalibus & orbicularibus, conſtat. Ex cæci etiam ſarcinâ quædam aliæ fibræ tendinoſæ exortæ, formâ trium faſciarum per latera & ſuperficiem convexam coli extenſæ, muſculares deveniunt. Hinc ſenſim latiores factæ uſque in recti finem continuatæ tandem in ſphincterem ani internum inſeruntur. Harum naturali contractione inteſtinum colon quaſi in cellulas ejus receptacula dictas attrahitur. Tertia inteſtinorum tunica ex reticulari intertextu nervorum, arteriarum & venarum conficitur. Quarta demum ex tenui membrana foraminibus multis pertusâ conſtat; quæ, ſi extenderetur, multo amplior foret cæteris; quapropter, in ventriculo & inteſtinis, præcipuè tenuibus, rugas multas efficit, & à ſuperficie ejus internâ, ſericum villoſum æmulante, nomen tunicæ villoſæ adipiſcitur. Recti tandem inteſtini extremitas duobus muſculis, ſphincteribus dictis, clauditur, & iterum duobus aliis, ejus levatoribus appellatis, dilatari poteſt.

XIII. Præter arterias & venas, (§ v. memoratas) quæ perpetuò ſua liquida per tunicam villoſam in inteſtina exhalant, iterumque reſorbent, pertuſa etiam eſt hæc tunica, excretoriis à glandulis plurimis parvis, per totum inteſtinorum tractum inter hanc & tunicam nervoſam latentibus. Harum quædam à detectore Pyerianæ, aliæ ſolitariæ appellantur.

XIV. Quinetiam, præter haſce glandulas, multæ aliæ ſua contenta in inteſtina infundunt. Glandulæ enim parotides in foveis infra auriculas ſitæ; maxillares lateribus internis inferioris maxillæ adhærentes; ſublinguales prioribus quàm proximæ, & in idem excretorium deſinentes; molares inter maceterem & buccinatorem muſculos poſitæ; & glandulæ innumeræ parvæ totius oris & faucium ſuperficiem internam occupantes: omnes ſuis propriis emunctoriis liquida à ſanguine ſecreta ore & faucibus eructant; unde ferè perpetuò in ventriculum deglutiuntur.

XV. Hepar etiam inter maxima totius corporis viſcera diaphragmati appenſum totam ferè hypochondriam dextram & etiam partem regionis epigaſtrii occupans ſuam bilem à ſanguine, ex cæteris viſceribus abdominalibus reduce, ſegregatam, per porum proprium, & ductum communem cholydochum, continuo rivo in inteſtinum duodenum prope ventriculum infundit ad uſus maximè neceſſarios; bilis etiam altera, pari modo ac prior ſecreta, (verum in veſiculam fellis, cavo jecoris adhærentem, recondita) ventriculo diſtento, vel ſtimulo aliquo partibus hiſce applicato, per porum cyſticum, & eundem ductum communem, in duodeni cavitatem propellitur.

XVI. Aliud viſcus magnum ſub parte poſtica & ventriculi fundo ſitum, pancreas dictum, peritonæo affixum, & ex variis glandulis parvis cum ſeparatis propriis ductibus conflatum, omnem ſuam lympham, ab arteriis cæliacis ſecretam, per unum communem ductum, ejus medium percurrentem, in duodenum juxta priorem eructat.

Corol. Liquet igitur (ex § xiii. huc uſque) quòd in inteſtina continenter fluant mucus palatinus, œſophagi, ventriculi bilis duplex, ſuccus pancreatis, glandularum Pyeri, & ſolitariarum; quorum omnium aggregata moles, in homine ſano, adulto, naturali ſtatu, libras quatuor, ſpatio duodecim horarum, exiſtimatur eſſe; *(a)* ſi verò ſtimulo cathartico hæ partes irritentur, tum ad librarum ſex cum dimidio quantitatem, ſpatio octo horarum, excernitur; *(b)* unde conſtat, præter fæces alvinas, totum ferè fluidorum maſſam, per anum expurgari poſſe; & certè rectè ab Helmontio obſervatur, quòd reme-

(*a*) Boerh. de virib. med. par. III. cl. 2. cap. iii. § 3.
(*b*) Friend de febr. commentar. p. 126.

remedia purgantia plerumque ſanguinem & carnes fundant (*a*); verùm ob hanc rationem minimè illi concedendum eſt, ab eorum in curatione morborum uſu ſemper abſtinendum eſſe: omnia enim remedia præſtantiſſima fortiora, ſi homini ſano exhibeantur, ſemper nociva ſunt (*b*).

XVII. Præter memoratas § v. aliæ venæ minutiſſimæ, à colore ſuo lacteæ dictæ, ex tota inteſtinorum, præcipuè tenuium, interna ſuperficie oriuntur, quæ ab ortu ſuo, inter duas arteriolas per meſenteriam ſerpentes, variis anaſtomoſibus & ambagibus inter ſe communicantes, in glandulas vagas meſenterii abeunt; inde majores, paucioreſque egredientes, pari modo ac priores diſtributæ, tandem omnes ſimul in chyli receptaculum colliguntur; quod inter portionem dextram muſculi diaphragmatis inferioris, & vertebram dorſi ultimam, lumborumque primam, ad latus aortæ deſcendentis ſiniſtrum ſitum eſt; ex parte ejus ſuperiore canalem tenuem, ductum ſciz. thoracicum, emittit, qui hinc per ſpinam dorſi, inter venam azygon & aortam uſque ad quintam dorſi vertebram extenſus, inde in duos ramos ſæpiſſime diviſus ad latus ſiniſtrum tendit; ibi, ramulis ſuis iterum coëuntibus, ad poſteriora venæ ſubclaviæ ſiniſtræ tranſiens in hanc ſua omnia contenta deponit. Per totum hunc curſum vaſa lactea & ductus thoracicus valvulis multis inſtructa ſunt; quæ & ciſterna lumbaris totius ferè corporis lympham à glandulis & vaſis propriè lymphaticis dictis accipiunt.

XVIII. Quicquid cibi aut potûs intra os aſſumitur cum ſaliva miſtum, per œſophagum in ventriculum delatum, ibique attenuatum, contritum, dilutum, in maſſam ad fermentationem aut putrefactionem vergentem redactum; hinc in duodenum expreſſum, bile & ſucco pancreatico in illo magis attenuatum, dilutum, per totum inteſtinorum tenuium tractum diffunditur: unde pars ejus liquidior, tenuior, aut per venulas abſorbentes, in meſeraicis terminantes, ſanguini infertur (pari modo ac in oviparis animalibus accidit) (*c*) aut inteſtinorum motu periſtaltico in orificia vaſorum lacteorum impellitur; inde idem motus inteſtinorum

(*a*) Van Helmont de febr. cap. v. paſſim.
(*b*) Celſus med. lib. II. cap. xiii. p. 87.
(*c*) Harvæus de generat. animal. exercit. xxxv. p. 317.

rum periſtálticus, actio arteriolarum juxta latera lacteorum poſitarum, & continua muſculorum abdominis contractio & relaxatio, eam valvulis in inteſtina redire impeditam in ciſternam lumbarem propellunt; unde iiſdem adminiculis, & etiam diaphragmatis, arteriæ aortæ, pulmoniſque actione perpetua, ac vi propriâ contractili ductûs chyliferi, tandem in venam ſubclaviam ſiniſtram, inde in cor & omnia totius corporis vaſa agitur.

XIX. De modo hocce, quo chylus vaſa lactea intrat, medici multum diſcrepant: quidam enim, uti ſupra, motu inteſtinorum periſtaltico eum impulſum eſſe exiſtimant; alii id denegant dicentes quòd abſorptione ſolâ perficiatur. Argumenta autem varia de hac re hîc pertractare, nec attinet, nec tempus permittit; & certe parum convenit mihi arrogare, lites inter tantos viros dirimere.

XX. Dum chylus per vaſa lactea & venulas abſorbentes in ſanguinis maſſam recipitur, partes alimenti craſſiores, & acriores, eodem motu periſtaltico inteſtinorum tenuium, in magnam cæci ſarcinam, & coli cellulas propelluntur; hic fætidæ, exſuccæ, putridæ deveniunt, ſua acrimoniâ fibras muſculares (§ xii.) deſcriptas irritant; quæ (§ xxviii.) contractæ, canalem coli accurtant, fæces eas alvinas in rectum impellunt, quæ ibi mole ſuâ vaſa ſanguifera ad ani ſphincteres (§ xiii.) delata, comprimunt; quo, & levatoribus eodem tempore contractis, recti finis dilatatur, ſphincteres paralitici deveniunt. Quinimo etiam magna aëris quantitas per pulmones intra thoracis cavitatem recepta, ibique detenta, diaphragma deorſum trudit, quâ abdominis contenta, muſculis ejus contractis, vehementer premuntur, & ad partem ubi minima eſt reſiſtentia coguntur; unde, hiſce omnibus concurrentibus, fæces alvinæ è corpore expelluntur.

XXI. Veteres cathartica in plures claſſes diſtinguunt, quæ complectuntur medicamenta, fæces alvinas, bilem, phlegma, aquam, atram bilem, vel denique omnes indiſcriminatim humores, expurgantia. Ea inde dicta ſunt eccoprotica, chologoga, phlegmagoga, hydragoga, melanagoga & panchymagoga: quæ catharticorum diſtributio, licet hypotheſi forte nimis lubricæ innixa, tamen haud temere rejicienda eſt, cum re ipſâ compertum

ſit,

ſit, mitiſſima ſive eccoprotica ſtercora ferè ſola ſubducere, reliquaque temperamentis & morbis bilioſis, phlegmaticis, aquoſis, aut melancholicis imprimis convenire.

XXII. Inter *(a)* recentiores autem nonnulli, dum veterum de catharticis doctrinam evertere ſatagunt, aliam at minus certè fidam adſtruunt; dum catharticorum vim tribuunt fermentationi aut ebullitioni cuidam fictæ, quorum efficaciâ in ſanguine excitatæ partem fæculentam à puriore ſeparatam è corpore expellunt. His verò miſſis, liceat purgantium vires altiùs pauliſper indagare; unde forte patebit horum effectus pendere aut à virtute quadam lubricitante aut irritante. Quoniam verò quamplurima, qualia ſunt purgantia metallica, vitriolata, ſalina, & quædam etiam vegetabilia hos irritantes effectus à particulis acribus edere viſa ſunt; dum alia, veluti gummoſa, reſinoſa, gummi-reſinoſa, & ſimilia, qualitates ſuas purgantes videntur à particulis viſcidis ſtimulantibus accipere: de harum itaque particularum doctrina pauca præmittenda veniunt.

XXIII. Supponamus igitur particulam acrem ex ſpiculis acutis uno puncto exortis, & in circumferentiam germinantibus, conſtare; vel demum ex qualibet alia forma cum apice acuto (talem verò, aut ſaltem anguloſam particularum figuram in acribus obtinere microſcopia (*b*) docent :) hæc itaque particula acris, ſi intra vaſa reciperetur, veriſimile eſt, dum ſanguinis circuitûs ambitum percurrit, ejus apicem in latus alicujus arteriolæ infigi, dum altera pars in cavitatem vaſis prominens ſanguinis particulas (quæ æqualiter in omnem partem arteriæ impingere debent) in illo puncto intercipiet; quare illic majore vi vas dilatabitur; quo verò vas aliquid magis diſtenditur, eo elaſticitate ſuâ fortiùs in contractionem renititur; unde oſcillatio arteriæ fit crebrior & fortior; ſanguinis in cor reditus celerior; hujus contractiones frequentiores; hinc in cerebrum & cerebellum ſanguis majore copiâ impellitur; inde nervoſi liquidi iterum in cor & omnia vaſa major derivatio; febris oritur; ſecretiones omnes augentur;

(*a*) Pechylin. de purg. med. facultatib. paſſim.
(*b*) Mead de toxico viperino. Leuvenhoek epiſt. ad Societ. Reg. Lond. de ſale & aceto, de piperis partium formatione, de alabaſtro, de carduo benedict. & de cinnabari nativo.

gentur; liquidiores ſanguinis partes per ſeroſas glandulas expelluntur; uſque donec particula hæc acris vi humorum circumductorum penitus abluatur. Eâ verò lege hæc eveniunt, ut ſemper neceſſarium ſit omnia corporis vaſa apta fore ſuos proprios humores tranſmittere; & humores itidem per ſua vaſa meabiles eſſe: ſin aliter ſeſe habeant, febris quidem accenditur, ſecretiones autem nequaquam augentur.

XXIV. Si etiam talis particula acris, vel aëris compreſſione, frictione, vel ullo demum alio modo, lateri vaſis externo impellatur; ejus compreſſione internâ vaſis ſuperficies ad hoc punctum intra cavitatem protuberabit, ibique ſanguinis particulas intercipiet: unde eadem omnia ac ſupra.

XXV. Particulæ autem viſcidæ ſtimulantes, ſi intra vaſa recipiantur, ibique ad eorum ſuperficiem internam tenacitate ſuâ firmiter adhæreant, ſanguinis particulas arterias percurrentes inintercipient: unde vaſorum oſcillatione auctâ ſimiles effectus ac (§ xxiii.) eveniunt.

XXVI. Tales etiam particulæ viſcidæ, ſi extremitatibus quarundam exilium arteriolarum externè applicentur, eas occludendo, illarum liquidi tranſitum impedient: hinc vaſorum latera valde diſtendentur; majore itaque vi contracta ſua contenta velòciore curſu per lateralia aperta, & magis dilatata vaſa propellent: inde pari ferè modo ac ſupra memorato operantur.

XXVII. Quoniam remedia hæc omnia, cum particulis hujuſmodi acribus aut ſtimulantibus viſcidis compoſita, nil aut parum ſaltem in ſuis effectibus corpori inductis diſcrepant; ea igitur indiſcriminatim unâ denominatione (ſciz. acrium) in ſequela recenſere liceat; quorum ex doctrina tradita corollaria hæc neceſſariò ſequentur.

Cor. 1. Quòd actio acrium, tam internè quàm externè adhibitorum, maximè pendet à vi & motu humorum intra vaſa circumductorum; unde ratio patet, cur in moribundis, epiſpaſtica, cauſtica, & ſtimulantia interna, leviter tantùm ſuos effectus edant; cadaver verò, vel aliquam corporis partem jam mortuam, nullo modo afficiant.

Cor. 2. Quòd acria, externè aut internè glandulæ alicui, vel ejus emunctorio applicata, cogant illam ſua contenta exprimere; hinc

hinc minor reſiſtentia fluidis huc per arterias allatis; unde magis magiſque glandulæ ſecretio augebitur, ſi, uti ſupra monitum, vaſa expedita & humores meabiles ſint. Quo verò unius glandulæ ſecretio magis augetur, eo in cæteris magis minuetur. Unde patet cur remedia ſtimulantia diverſimodè in corpore agant: quoniam ſciz. horum vis per cauſas diverſas ad diverſa excretoria determinatur.

Multa etiam alia corollaria ex hiſce deduci poſſunt; quæ, quoniam ad propoſitum noſtrum illuſtrandum parum conferunt, hic præterimus.

XXVIII. Si acria filamento nerveo applicentur (quicunque ſit modus operandi, ſive ratione mechanicâ, ſive interpoſitione mentis) illud ſtimulando faciunt majorem ejus liquidi in locum derivationem. Quapropter, ſi ad fibram muſcularem tendit, hæc magis contrahetur: verùm ſi ad glandulam aut ejus excretorium pertinet, tum illius glandulæ liquidorum expreſſionem promovet, eademque omnia ac § xxx. corollario 2. evenient. Irritatione hac leviter auctâ, ſtimulus à communicatione nervorum alii vicino impertitur. Si verò valdè acris irritatio ſit, vel multi nervuli ab ea afficiantur, brevi totum ferè genus nervoſum in conſenſum trahetur, omniaque ut § xxiii. ſequentur.

XXIX. Hiſce igitur præmiſſis, ut catharticorum operatio meliùs eluceſcat, inquiramus nunc in omnes illos varios modos quibus ea ſuos effectus in corpore edere poſſint. Illi verò vel in inteſtinis ipſis vel intra ſanguinis circuitûs ambitum fiunt.

XXX. Catharſis enim in primis viis à medicamentis excitatur;

1*mo*, Ab iis, quorum qualitates ſunt inteſtina lubricare, relaxare; qualia ſunt, olea blanda ex vegetabilibus recentia preſſa, lac, ejus cremor, butyrum, decocta oleoſa, emollientia, jura pinguia, olera ſemicocta ſubcruda, & ſimilia. Hæc enim omnia inteſtinorum tunicas relaxant, emolliunt; & ſuperficiem eorum internam illinunt; hinc fæcibus alvinis facilem lapſum conciliant.

2*da* Claſſis eorum, quæ in inteſtinis ſuos effectus exſequuntur, conſtat ex iis, quæ ſeſe inter particulas fæcum induratarum inſinuantes, eas diluunt, attenuant, faciliorem exitum promovent: talia ſunt, aqua tepida, ſalita, nitrata, decocta mellita, emol-

lientia ſupra recenſita, ſaponacea mitiora, manna cum aquis diluta.

3tia Claſſis continet ea omnia, quæ levi irritatione nervis inteſtinorum communicata, eorum fibras muſculares (§ xxviii.) in contractionem cogunt; unde fæces per inteſtina propelluntur, & (§ xx.) ex corpore eliminantur: horum præcipua ſunt, fructus horæi blandi, flores violarum, roſarum pallidarum, tamarindorum fructus, prunorum & caſſiæ fiſtularis pulpæ, urina, bilis, & ſtercora animalium, ſaponacea diluta; ſal maris, gemmæ, boracis; tartarus crudus, aloe lota, &c. Hæc omnia, claſſibus primâ, ſecundâ & tertiâ hujus, uti nullam ferè mutationem, præter fæcum excretionem, corpori inducunt, ita à veteribus eccoprotica dici ſolebant.

4ta demum Claſſis complectitur omnia ea, quæ majori numero particularum acrium valdè ſtimulantium prædita ſunt: hæ enim particulæ, dum glandulis inteſtinorum, (§ xiii.) cum ſuis emunctoriis applicantur, non ſolum eorum ſecretionem plurimùm augent, modo § xxvii. cor. 2. deſcripto, verùm etiam ſtimulo ſuo vaſorum abſorbentium & lacteorum orificia conſtringunt; unde admodum parva, ſi ulla, pars liquidorum, quæ vel per arterias exhalantes, (§ v.) aut glandulas inteſtinorum excernuntur, iterum in ſanguinem reaſſumitur. Quinimo etiam, nervi ad ventriculum, & inteſtina à tam varia origine deducti, ita vellicantur, ut communicatione ſuâ cum cæteris totum genus nervoſum afficiant, febrem excitent, & ſecretiones, (§ xxviii.) adaugeant; quibus omnibus concurrentibus, multæ & frequentes alvi oriuntur dejectiones; quæ continuare debent uſque donec illis ipſis excretionibus particulæ acres abluantur, & è corpore eliminentur. Talium catharticorum mitiora ſunt myrobalanorum fructus, polypodium quercinum, ſennæ folia, rhabarbarum Indicum: acriora ſunt, carthamus, rhamnus catharticus, hermodactyli, ebuli & ſambuci turiones, aſarum, fungus agaricus, radix jalappi, mechoacannæ, ſcammonium, ſoldanella, gratiolum: acerrima, colocynthis, gummi gottæ, thapſia, helleborus albus, niger, iris noſtras, Germanica, elaterium, euphorbium, lapis lazuli, mercurialia, & antimoniata acriora. Quædam horum adeo acria ſunt, ut cuti applicata epiſpaſticorum vicem ſuppleant; unde quorundam eſt ſententia, quòd pari modo inteſtinorum tuni-

cam

cam villoſam in veſicas attollant, &,hiſce diruptis, magnam quantitatem ſeroſi liquidi emittant *(a)*. Horum verò mitiorum magna pars materiei purgantis in ſanguinem recipitur, ibique ſua munera (prout mox § xxxi. dicetur) perficiunt.

XXXI. Medicamenta purgantia per vaſa lactea aut venulas abſorbentes, intra leges circuitûs ſanguinis accepta, ibi catharſin promovere queunt;

1*mo*, A qualitate attenuante, rarefaciente, immediatè in ipſo ſanguine; quæ vel oriri poteſt à quadam facultate, quam ſanguis obtinet majore vi particulas medicamenti attrahendi, quàm ſuas ipſius, vel, vice versâ, medicamentum, attrahendi particulas ſanguinis fortiùs quàm ſuimet ipſius: unde ſanguinis moleculis à ſe invicem diſtractis, maſſa ejus rarefit, viſcidus lentor reſolvitur, pulſus fit plenior, concitatior, circuitus & ſecretiones omnes magis liberæ deveniunt. Eadem etiam omnia accident, ſi medicamenti particulæ, vi circuitionis actæ, cum impetu in ſanguinis globulos irruerent, eaſque dirumperent. Haud præterea mirum erit, ad inteſtinales glandulas majorem eſſe quàm ad ullas alias fluidorum derivationem, perpendenti, quòd, dum medicamenta hæc inteſtina pertranſirent, ibi quaſdam ſuarum particularum dereliquerint, quæ prout § xxx. claſſe 4. operantur. Huic claſſi referri poſſunt aquæ minerales tam ſalinæ quàm ſulphureæ, ſal mirabile Glauberi, polychreſtum, & mitiora quædam ex claſſe 3. & 4. § prægreſſæ, deſumpta, ſales varii fixi alcalini, ſero lactis vel aquâ diluti, quorum omnium operatio ad quamlibet corporis partem, ope fomentorum, balneorum, &c. facilè determinatur; unde diuretica & ſudorifica ſæpiſſimè evadunt *(b)*.

2*da* claſſis illorum purgantium intra circuitionis ambitum agentium ferè eadem medicamenta ſunt, ac ſuprà in prima claſſe hujus recenſita. Hæc enim ſuos effectus producere valent ab acribus particulis vaſa internè ſtimulantibus: inde ſanguinis maſſa attenuatur, ejus circuitus & ſecretiones, § xxiii. augentur.

3*tia* claſſis continet ea, quæ gravitate ſuâ, majore vi quàm cæteræ

D

(*a*) Boerh. de virib. med. introd. ad part. III. Id. part. III. cl. 2. cap. vii. No. 2.

(*b*) Pechilin. de med. purg. facult. cap. xx. paſſim. Boerh. de virib. med. introd. ad part. III.

teræ ſanguinis particulæ, vaſa percurrentia, & in latera eorum impingentia, eadem diſtendunt; quæ itaque majore elaſticitate in contractionem ſuam renituntur: unde, § xxiii. eorum oſcillatio, ſanguinis circuitus, & ſecretiones omnes augentur. Huc præcipuè ſpectant præparata mercurialia: an verò grana 4, 5, vel etiam 20, cum libris multis noſtrorum fluidorum miſta, tales miros effectus, quales ab eorum uſu oriri ſoleant, à gravitate ſola exſequantur, certè haud temerè aſſerendum eſt.

Ultima catharticorum claſſis, vel potiùs eorum quæ cæterorum operationem liberiorem reddunt, conſtat ex iis quæ ſanguinem diluunt, & non ſolum inteſtina ipſa, ſed vaſa etiam omnia interna relaxant; qualia ſunt ſerum lactis, decocta omnia emollientia, quæ ex quinque radicibus aperientibus & hiſce ſimilibus componuntur. Hinc ratio patet cur ſennæ folia, magnâ quantitate aquæ infuſa, fortiùs purgant quàm cum minore copia miſta.

XXXII. Per hanc ſuprà deſcriptam purgantium in claſſes diviſionem, nequaquam intelligendum eſt, quòd ſingula omnia unaquâque claſſe recenſita, haud aliter ſuos effectus in corpore edant, niſi quemadmodum ſub illa claſſe deſcribitur: quædam enim ferè omnibus variis ſuprà memoratis modis operantur. Veriſimile tamen videtur eum præcipuum eſſe qui unicuique in ſingulis ſuis claſſibus adſcribitur.

XXXIII. Quorundam autem medicorum ſententia eſt, nullam particulam adeò acrem, ut interna vaſa ſtimulare queat, vaſa lactea, aut abſorbentia pertranſire. Quàm verò inanis ſit hæcce opinio facilè apparebit, conſideranti naturam purgantium acriorum, quæ ſæpiſſimè, § xxxi. cl. 1. in ſudorifera & diuretica vertuntur; & eorum quoque operationem in infantibus lac ex mammis nutricis (poſtquam ea purgans remedium aſſumpſiſſet) exſugentibus: illi enim ſæpiſſimè purgantur, dum hæc nullo modo afficitur (*a*). In uſu etiam erat apud veteres lac caprarum ex veratro ſimilibuſque herbis depaſcentium, tanquam purgativum optimè melancholicis adaptatum exhibere (*b*). Quid autem acrius

(*a*) Will. Phar. rat. § 3. cap. i. No. 14. Pechilin. de purg. facult. cap. xxx. p. 235.

(*b*) Id. ibid. p. 234.

crius quàm cantharides aliaque quædam diuretica, vaſa internè ſtimulat? Hæc tamen vel venulas abſorbentes, vel vaſa lactea permeare, nemo certè dubitat.

XXXIV. Cathartica, ex talibus particulis acribus, uti ſuprà dictum, compoſita eſſe, ab eorum effectibus, tam internè quàm externe adhibitorum, patet (*a*). In pleriſque verò à vegetabili regno deſumptis, hæ patticulæ tam minutæ & volatiles ſunt, ut ſi diu aëri exponantur omnino facultates ſuas purgantes amittant, effœta penitus evadant (*b*); immo myrobalanorum fructus, rhæi radix, fungus agaricus, & quædam alia adſtringentia deveniant (*c*).

XXXV. Antequam de uſu purgantium diſſeramus, pauca de eorum correctoriis, componendi formulis, methodo & regimine exhibendi, perquam breviter dicenda ſunt. Sæpè enim convenit quorundam purgantium ſegnitiem ope ſtimulantium volatilium emendare; ſic aloes ſuccotrinæ, ſennæ foliorum & ſimilium operatio, oleis ſtillatitiis chemicis promovetur: alia verò tam acria ſunt, ut, niſi involuta aliquo glutinoſo tegmine, non ſolùm ægrè deglutiantur, ſed & ſæpiſſimè faucium, œſophagi & ventriculi ſuperficiem internam erodant; inde ſcammonium, elaterium, euphorbium & ſimilia, cum oleo amygdalarum, ſyrupis aut quibuſdam mucilaginibus gummoſis debent adminiſtrari. Pleraque autem cathartica mitiora, vel ab irritatione inæquali inteſtinis communicata, vel à magna quantitate materiei flatuoſæ in ea delata, borborygmos & dolores colicos excitant: hiſce itaque, (qualia ſunt caſſia fiſtularis, manna, &c.) remedia carminativa, ut ſemina cumini, carvi, coriandri, gentiani radix, &c. admiſceri oportet. Alia demum, quæ tam vehementer & quaſi ſupra naturam agunt, hypercatharſin frequenter excitant. Hæc igitur accidis, mineralibus (*d*) & remediis opiatis corriguntur. Hiſce omnibus

(*a*) Pechilin. de purg. facult. à cap. xiii. ad xix. paſſim. Boerh. de virib. med. introd. ad part. III. Id. part. III. cl. 2. cap. vii. paſſim.

(*b*) Pechilin. de purg. cap. xii. p. 80.

(*c*) Id ibid. cap. xiv. p. 92.

(*d*) Will. phar. rat. § 3. cap. i. Boerh. de virib. med. part. III. cl. 2. cap. v. n. 4.

mnibus rité conſideratis, illa multum decantata doctrina de purgantium correctoriis facile intelligitur.

XXXVI. Ex omnibus iis diverſis catharticis, § 30 & 31. enumeratis, inter ſe vel cum aliis remediis, ſecundum medendi intentiones, commiſtis, variæ fiunt formulæ; qualia ſunt pilulæ, electuaria, potiones, &c. ore aſſumenda, enemata per anum injicienda, cataplaſmata & unguenta abdomini externè applicanda; ex quibus proximè dictis, materia purgans, per vaſa abſorbentia (§ v.) in ſanguinem recipitur, ibique pari modo ac ea § xxxi. deſcripta, muneribus ſuis funguntur.

XXXVII. Quod ad regimen ægroti, catharticis exhibitis, attinet, hæc pauca obſervanda ſunt.

1. Cathartica adminiſtranda ſunt, ſex vel octo horis poſt paſtum, ne particulæ ejus cibis inviſcatæ, ſtimulantes ſuas qualitates amittant.

2. A cibis etiam, durante eorum operatione, abſtinendum: ſi enim cibi præberentur, metuendum eſt, ne, dum tenuior & lymphatica pars humorum per inteſtina excernitur, crudæ particulæ alimentorum in glandulis meſeraicis obſtruantur, deficiente liquore illo naturali diluente.

3. Sedulò cavendum eſt & à nimio calore & à frigore: frigus enim vaſa à rarefacto ſanguine tumefacta comprimit; unde medicamenti operatio retardatur, obſtructiones oriuntur: à nimio verò calore, fluidorum derivatio ad corporis ſuperficiem externam multùm augetur: hinc ad glandulas inteſtinales ſecretio minuitur, quo fit ut cathartica in diaphoretica mutentur.

4. Secundum medendi intentiones, major minorve copia liquidi alicujus blandi propinanda eſt, quâ (prout § xxxi. claſſe ultimâ) operatio medicamenti promoveatur.

5. Quicquid animum aut corpus nimis exagitat, vitandum eſt.

6. Finitâ operatione, ſi vel à remedio, morbo ipſo, vel ab ulla alia cauſa, ægroti vires debilitentur, tum præberi oportet paregoricum quoddam leniter hypnoticum.

7. Si hypercatharſis excitetur, tum opiatis & acidis mineralibus, enematibus adſtringentibus, & ejuſmodi fomentis, tepidè abdomini applicatis, eam ſedare conandum eſt.

XXXVIII. Conſiderandi nunc veniunt morbi illi, quorum curationi remedia cathartica præcipuè adaptata ſunt.

XXXIX.

XXXIX. (*a*) Ad totius corporis humani ſuperficiem glandulæ innumeræ, parvæ, miliares dictæ, ſub cuticula latent, quæ patentibus emunctoriis materiam ſubtiliſſimam, ſalſam, odoram, inviſibilem, ex ſanguine ſecretam, in auras exhalant. Hiſce etiam intermixta vaſcula minima arterioſa (§ v.) ſua liquida huic ſimillima foras eructant. Si vel ab aucto motu corporis, ſeu quolibet rerum non naturalium exceſſu, ſanguinis circuitio nimis acceleretur, tum materies hæc multum augetur, & liquidâ formâ viſibili expulſa, ſudor appellatur, liquor, licet urinâ multo ſubtilior, veruntamen acrimoniâ cæteriſque ſuis dotibus illi perſimillimus. Si tunc temporis corpus nimio frigori exponatur, vaſa hæc arterioſa & glandularum emunctoria conſtringuntur; materies perſpirabilis retinetur. Hinc nervi huc confertiſſimè allati comprimuntur: unde laſſitudinis & quaſi gravedinis ſenſus exoritur. Acres etiam particulæ in ſanguine detentæ multis certè morbis originem præbere poſſunt; quales præcipuè ſunt humorum cruditates, febres, inflammationes, putredines, atrophia, & cætera multa.

XL. In initio autem morbi, dum ſciz. materies perſpirabilis primò obſtruitur, quanta ſit præſtantia ptiſanæ alicujus laxativæ, ex catharticis Claſſ. 1 & 2. § xxxi. recenſitis, magnâ aquæ copia & medicamentis blandis, aperientibus, compoſitæ, minimè certè latebit conſiderantem, quòd tali remedio ſanguinis maſſa diluitur, attenuatur, vaſa omnia minima emolliuntur, relaxantur, tranabilia redduntur; eodem etiam medicamento acria demulcentur, & ex magna parte per inteſtinales glandulas excernuntur.

XLI. Si verò hujus materiei obſtructio in homine robuſto ſanguineo contigerit, tum venæ ſectionem præmittere, & mitiſſima diluentia cathartica exhibere oportet; ne, nimis acri ſtimulo adhibito, febris ſeu inflammatio accendatur: in laxo verò & leucophlegmatico omnia è diverſo præſcribenda.

XLII. Omnis totius humani corporis pars vaſculoſa inflammationi obnoxia eſt, cujus cauſa proxima in ſanguinis ad finem arteriarum ſtagnatione conſiſtit; cauſæ verò remotiores perquam multæ & variæ ſunt, quarum omnium enumeratio accuratiſſima

(*a*) Malpigh. de organo tactus.

apud Cl. Boerhaave invenitur (*a*); quas verò hic expendere tempus non ſinit.

XLIII. Corde perpetuò in arterias obſtructas ſanguinem cogente, inflammatio hæc jam nata perpetuò augetur, & materies obſtructa magis magiſque condenſatur. Quare, ad morbi curationem, indicationes hæ oriuntur; impetum ſciz. ſanguinis diminuere, materiam obſtructam attenuare, diluere, fluxilem reddere, & ad aliquod corporis excretorium eam per vaſa jam fluentem determinare, ibique tandem ex corpore eliminare. Harum prima, ſciz. ſanguinis impetûs diminutio, à venæ ſectione largâ obtinetur: atque hæc & cæteræ omnes intentiones à purgantibus iiſdem § xl. memoratis obtinentur. Hæc quippe non ſolùm proſunt, quatenus ſanguinem diluunt, attenuant, vaſaque omnia relaxant, uti ſuprà, ſed etiam, factâ revulſione forti, magnam fluidorum partem ad inteſtinales glandulas ferunt, ibique excernunt, unde multo minor erit fluxus humorum in vaſis inflammatis obſtructis.

Corol. Patet igitur quantùm proſint remedia cathartica, arte adhibita, in pleriſque morbis acutis inflammatoriis. Cura autem habenda eſt, ne nimis temere in viſceribus tenerioribus uſurpentur; metuendum enim eſt, ne ab eorum ſtimulo vaſa nimis irritata dirumpantur, & hinc ſanguinis fiat effuſio; unde multa certe mala oriuntur.

XLIV. Si verò talis inflammatio in corpore jam nata hiſce remediis nequaquam ceſſerit, novi ſanguinis acceſſione vaſa, cum amplius diſtendi nequeant, tandem dirumpuntur; & ſi æger nullo cacochymico morbo laboret, cum ſuis liquidis in album, blandum, craſſum humorem, pus dictum, reſolvuntur; qui licet in initio blandus & innocuus, veruntamen diu in loco clauſo retentus, acer, putridus evadet, vicina omnia vaſa corrodet, &, ſi in ſanguinis maſſam per venulas abſorbentes iterum reciperetur, ibi circuitûs ambitum percurrens, novas inflammationes, apoſtemata, phthiſin purulentam, & tandem mortem miſerrimam producet.

XLV. Pus hujuſmodi in externa quacunque corporis parte collectum, quò chirurgi manus accedere poſſit, illicò ferro aut igne

(*a*) Boerh. aphor. cap. de inflam.

igne facilè evacuatur; ſi verò internè natum ſit, vel alicubi unde hiſce educi nequeat, tum eo per ſua ſigna adeſſe noto, ſtatim ad remedia laxantia, obtundentia, antiſeptica, confugiendum eſt, & etiam cathartica, ex claſſe prima, § xxxi. deſumpta; quibus purulentæ materiei in ſanguinem reſorptio promovetur, (prout infra, § lxii. dicetur) & jam reſorpta è corpore eliminatur. Si in hepate, pancreate, aut inteſtinorum vicinio collocatum ſit pus, tum mitiſſima purgantia (uti ea quæ ſub claſſe prima & tertia, § xxx. continentur) exhibenda ſunt. Si verò ab inteſtinis remotiùs ſitum, tum paululum magis ſtimulantibus uti convenit. In thoracis verò cavitate, vel circa fauces, renes aut veſicam urinariam faciliùs ſæpè ſputo aut urinâ rejicitur. Sed & in hiſce etiam caſibus cathartica lenia ſæpiſſimè proſunt.

Corol. Hinc liquet purgantium uſum indicari in omnibus contuſionibus, ubi, vaſis ruptis, ſanguinis pars aliqua extravaſatur.

XLVI. Cum maligna ſpecies tetri illius purulenti morbi infantibus maximè infeſti, & variolæ dicti, afficit adultos, aut eos qui rigidiore aut fortiori corporis habitu pollent; tum vi vitæ, & malignitate morboſæ materiæ, puſtulæ inflammatoriæ, ad ſuperficiem corporis confertiſſimè exortæ, quaſi in acervos colliguntur, unde confluentium nomine appellantur; quarum ſuppuratione peractâ puris pars liquidior in auras avolat, dum craſſior derelicta duras aridas cruſtas efficit, & ulteriorem puris aut varioloſi meaſmatis exhalationem hâc viâ impedit; quæ iterum in ſanguinis maſſam reſorpta, ibi acrimoniâ ſuâ viſcera interna deſtruunt, novam febrim diris ſymptomatibus comitatam ſecundariam dictam accendunt. Pus etiam, ad ſuperficiem ipſam corporis detentum, ibi novas inflammationes quaſi morbi renovationem excitat *(a)*.

XLVII. Via ad morbi curationem à natura ipſa indicatur; nam in hoc morbi ſtatu, & etiam ante puſtularum ſuppurationem, æger magnâ quantitate materiæ morboſæ obrutus, ſi infans, in frequentes liquidas alvi dejectiones incidit; ſi verò adultus, tum ſalivatio larga exoritur, quæ ſecretiones, ſi in utrolibet ullo modo impeditæ ſint, non niſi ſummo vitæ periculo, & quaſi per flammas, ex morbo æger evadit *(b)*.

Corol.

(*a*) Friend de febr. comment. p. 115.
(*b*) Sydenh. de variolis, paſſim.

Corol. Hic itaque uſus catharticorum tam antè quàm poſt puſtularum ſuppurationem facilè intelligitur, obſervando regulam illam à patre medicinæ traditam, *Quæ educere oportet, quo maximè vergunt, eo ducto per loca convenientia* (*a*). Ante verò ſuppurationem mitiora tantum uſurpanda ſunt, ne nimio acri ſtimulo febris exorta vaſa minima cutanea deſtruat, & petichias morbi peſſimum phænomenon producat: vel peractâ eorum operatione, & magnâ fluidorum per inteſtina ſecretione factâ, puſtulæ cum faciei & manuum tumore ſubſederint; poſtea autem in febre ſecundariâ paululum magis ſtimulantia conveniunt.

XLVIII. Eadem ferè eſt cartharticorum præſtantia in aliis febribus putridis, criſi peractâ (*b*). Horum tamen uſus in febribus quidam medici omnino improbant, quaſi deterriti vel ab eorum ſtimulo febrem nimis augente, vel quòd poſt eorum operationem ægri vires multum debilitentur. Nonne verò veſicantium ſtimulus multò acrior eſt? Hæc tamen felici ſucceſſu in morbis febrilibus ſæpiſſimè applicantur; &, quandoquidem à catharticis magna pars materiæ febrilis ex corpore eliminatur, ſatis certè pro minore virium jactura compenſatur: quod etiam experientiâ peritiſſimorum tam veterum quàm neotericorum confirmatur (*c*). Inquit etiam Fernelius, unâ tantum ſpontaneâ alvi ſolutione febris materiam putridam, (perfectâ jam coctione apparatam) prorſus excludi poſſe; atque ab eadem etiam viſcera & venas majores ſordidâ illuvie obſeſſas citra virium aut naturæ jacturam expediri (*d*).

XLIX. In quibuſdam illis hiſtoriis à Cl. Friend, tractatu ſuo de purgantibus in variolis enarratis, multa tetra atque dira ſymptomata, qualia ſunt commata, pulſus debilis vix ſentiendus, puſtularum, unà cum tumoris faciei manuumque, flacciditate, ſputatio impedita, (*e*) &c. viſa ſunt originem ſuam ducere ab liquidorum curſu per vaſa lactea in ſanguinem impedito: quod evenire

(*a*) Hipp. aph. § 1. No. 21.

(*b*) Id. ibid. § 1. No. 22. Id. ibid. § 4. No. 10.

(*c*) Id. libr. de veratri uſu, paſſim. Id. de affection. Galen. method. comp. paſſim Friend de purg. in variolis. Lomius de febrib. Sydenh. de febr. peſtil. ann. 1665 & 1666 Id. de conſtit. ann. 1674, 1675.

(*d*) Sydenh. method. med. 70 & 83.

(*e*) Friend de purg. p. 155, 157, 169.

venire poteſt, ſi cruſtæ multæ varioloſæ in inteſtinis exortæ totam eorum internam ſuperficiem obſederint; unde æger quaſi inediâ perit. Si verò hæ cruſtæ à medicamento cathartico excretæ ſint, orificia vaſorum lacteorum patula devenient, omnia meliùs evadent, velut ab auctore jam citato, purgantibus exhibitis, eveniſſe fertur.

L. In hominibus athleticis perſpiratio Sanctoriana (§ xxxviii.) multum augetur; ſanguinis pars liquidior, ſpirituoſa & mobilior difflatur, altera craſſa, ſpiſſa, ad inflammationem apta, in vaſis derelicta minorem in inteſtinorum glandulis ſecretionem efficit; atque etiam quicquid liquidi, vel per illas & vaſcula exhalantia in inteſtina ſecernitur, vel cum alimentis in ea ingeritur, ilicò vi illorum forti aut in vaſa lactea propellitur, aut per venulas abſorbentes exhauritur. Hinc fæces alvinæ, craſſæ, duræ, putridæ, exſuccæ deveniunt; unde inteſtinorum inflammationes & iliacæ paſſiones excitantur; venas etiam hemorrhoideas comprimendo in illis varices, & in arteriis iis communicatis obſtructiones pariunt; inde hemorrhoideorum varia genera.

Corol. Ex ſupra dictis conſtat, quot & quantis malis prævenire poſſimus uſu purgantium, (ſub prima & ſecunda claſſe, § xxx. deſcriptorum) quibus inteſtinalis ductus relaxatur, lubricatur, fæces duræ reſolvuntur, faciliſque lapſus iis conciliatur; parvo etiam aut nullo diſpendio ſucci naturalis à glandulis ſecreti facto, uti in catharticis acrioribus evenit.

LI. Iis etiam, qui ſub fervido cœlo vitam degunt, hæc quàm maximè proſunt; calore enimvero externo materia perſpirabilis per glandulas cutaneas ſecreta citò difflatur; unde minor reſiſtentia in arteriis huc allatis; major itaque in iis humorum effluxus à cæteris glandulis ſeroſis internis derivatio; quâ inteſtinales glandulæ quaſi exſuccæ evadunt, omniaque ut ſupra eveniunt. Eadem etiam omnia accidunt illis hominibus, qui acribus ſtimulantibus, aut calidis alimentis nutriuntur.

Corol. Ex hiſce ſupra dictis ratio patet, cur incolæ regionum fervidarum, atrâ bile, morbis hypochondriacis & hemorrhoidibus variis maximè obnoxii ſint: atque etiam cur hi tam facilè & feliciter à mitioribus lenientibus eccoproticis purgentur, dum cathartica acriora tam ægrè ferant, ut in anxietates, vomitiones

graves, ſudoreſque conjiciantur (*a*); hæc enim in ſanguinem recepta febrem accendunt, cauſamque mali maximè adaugent.

LII. Teter ille morbus, qui atra bilis à veteribus dicitur, & inter illos adeò jactatus, ſuam originem ſæpiſſimè ducit à diſſipatione ſanguinis partis ſpirituoſæ, aquoſioris, derelictâ craſſiore ſalinâ terreſtri; hinc à ſupra recenſitis cauſis, § li. oritur. Huic etiam originem præbent magnæ animi in quamcunque rem intenſiones diu permanentes, pathemata mentis ab improviſis inordinatis, nimia fluidorum evacuatio, victus auſterus, terreſtris, febres calidæ diu hærentes, & ſimilia; ex quibus cauſis, morbus jam in corpore enatus, humores acres nutritioni ineptas, ſecretiones tardas impeditas reddit, maciem, vaſorum & viſcerum obſtructiones parit; quæ in regionibus hypochondriacis evenientes, morbi hypochondriaci nomine appellantur; qui initio, levi tantùm anxietate, circa præcordia incipit; hinc verò, ſeneſcente morbo, in melancholiam & ad inſaniam uſque ſævit.

LIII. Si ad morbi hujus ſanationem, uti antiqui præſcripſere, ea cathartica acriora, ab illis chologoga & melanogoga dicta, adhibeantur, magnopere metuendum eſt, ne acerrima illa materies nimis ſubitò emota in viſcera quædam nobiliora irruat; ibique multa graviora mala aut mortem inopinatam producat. Quinetiam purgantia hæc ſemper mobiliores & liquidiores fluidorum particulas diſſipant; unde malum morbique cauſa perpetuò augebitur. Verùm ſi (uti hodierna praxis ſatiùs monet) remediis ſaponaceis, in ſanguine attenuantibus, diluentibus, exhibitis, materies morboſa jam fluxilis reddatur, tum mitiora purgantia (ex claſſe prima, § xxx. & claſſe primâ etiam & ſecundâ, § xxxi. compoſita) felici ſucceſſu uſurpantur.

LIV. Huic morbo, ſaltem in initio, haud multùm diſſimilis eſt alius ille qui affectio hyſterica appellatur, à nimia evacuatione frequentiſſimè ortus, feminiſque maximè infeſtus, quem urinæ pellucidæ magnum profluvium, ſignum morbi pathognomicum, ſemper comitatur; quo ſanguinis maſſa magis ſpiſſa denſa reliquitur, in glandulis inteſtinorum minor fit ſecretio, fæces aridæ induratæ deveniunt, quæ, ſi ductum inteſtinalem in talibus ægrotis

(*a*) Pechilin. de purg. facult. cap. xxvi. p. 213. Boerh. de virib. med. part. III. cl. 2. cap. iv. No. 2. corol. 2.

tis admodum debilem obſtruunt, borborygmi & dolores colici, ab aëre initus rarefacto excitantur: quin, ſi arctè claudantur inteſtina, tum in enormem molem tumefiant, morbus tympanitis vocatur.

Corol. Quapropter liquet, quàm neceſſarius in hoc morbo ſit uſus lenium diluentium catharticorum (qualia ſunt ea cl. 1 & 2. § xxx. recenſita.) Quorum verò operatione peractâ, remedia reſtaurantia, viſcera corroborantia, adminiſtranda ſunt.

LV. Similia fere omnia ſymptomata accidunt, eademque remedia, cum ſaponaceis miſta, conveniunt iis qui à bilis inertia, aut ejus à quacunque cauſa in hepate obſtructione habent duras, tardas, albas alvi dejectiones, (prout ictericis evenit:) à bilis enim acrimoniâ quàm maximè pendet naturalis fæcum excretio.

LVI. Viſcida iners ſaburra, ventriculum & inteſtina obſidens, originem ſuam trahit, aut à nimia ingeſtorum tenacitate, bilis inertiâ, viſcerum chylopoeticorum debilitate, à magna quantitate muci œſophagi & ventriculi excretâ, qui ſtagnatione amiſsâ parte ejus tenuiore coaleſcit, à vermibus (cum ſuis nidulis) ope remediorum anthelminthicorum occiſis. Horum omnium ſingula pariunt appetitum proſtratum, in primis viis cruditates, nauſeas, vomitiones, in infantibus convulſiones, morbos flatuoſos, colicos, & à vaſis lacteis obſtructis diarrhæas, lienterias & cætera multa mala.

LVII. Ad morbi curationem hæ indicationes oriuntur, ſciz. materiam viſcidam diluere, attenuare, ex corpore eliminare, quæ omnia à catharticis incidentibus, ſaponaceis ſtimulantibus (cl. 3 & 4. § xxx. memoratis) perficiuntur. Ea verò, quæ facile diſſolvuntur, adhibenda ſunt; gummoſa enim & reſinoſa cum viſcida illa pituita obvoluta, quaſi penitus effœta, in inteſtinis manent. Cujus exemplum à Faloppio narratur *(a)* mulieris, quæ pilulas quaſdam aſſumſiſſet, & poſt ſex dierum ſpatium eas muco oblinitas integras evomuiſſet. Huic etiam malo emeticorum uſus, ante purgantium exhibitionem, ad ſanitatem certè multum conducunt.

LVIII. Si verò viſcida hæc materies in ſanguinem recipiatur, ibi humorum omnium immeabilitatem, viſciditatem pariet: unde ob-

(*a*) Faloppius de med. purg. facult. cap. iii.

obſtructiones, ſecretiones impeditæ, nervoſi liquidi, ſucci pancreatici & bilis utriuſque inopia, glandularum meſeraicarum & inteſtinorum infarctio, alvus ſegnis, tardus, oriuntur; quibus omnibus morbus ejuſque cauſæ perpetuò quaſi renaſcuntur.

LIX. Ad malum hocce penitus eradicandum, remedia quidem emetica, ſaponacea, attenuantia, cum reſtaurantibus & roborantibus miſta, præcipuè adaptata ſunt. Verum etiam ad hanc finem multum conferunt purgantia ſtimulantia, in ſanguine attenuantia, cl. 1, 2 & 3. § xxxi.

Corol. Ex hiſce facile apparebit, quantus ſit uſus cathartiorum, in omnibus illis morbis, quæ origines ſuas lentori ſanguinis viſcido debent; aut quos talis lentor comitatur: hinc proſunt hominibus ſedentariis, mechanicis aut ſtudioſis, virginibus chloroſi, pueris rachitide laborantibus, paraliticis, epilepticis, in affectibus ſoporoſis & apoplecticis, ex hac cauſa, vel etiam à plethora, ſi venæ ſectio præmiſſa ſit, ortis. In quibuſdam febribus intermittentibus, & nonnullis etiam ſpeciebus cachexiæ, aſthmatis, ſcorbuti, ſcabiei, &c.

LX. Si à quacunque cauſa ſanguinis circuitus multum minuatur, aut ejus reditus per venas in cor impediatur, tum pars aquoſa, ſeroſa, per lateralia vaſa ruet in illa loca ubi minima eſt reſiſtentia, ſciz. in tunicam celluloſam & cavitates corporis internas, ibique continenter accumulabitur, unde leucophlegmatia, anaſarca & hydropum varia genera oriuntur. Iiſdem etiam morbis originem præbent, renum ſecretio impedita, fluidorum nimia aut tenuitas, aut viſciditas, liquor per vaſcula exhalantia cavitatibus infuſus, nec iterum per venulas abſorbentes in ſanguinis maſſam reaſſumptus.

LXI. In omnibus hiſce morbis hydropicis, prima intentio curatoria eſt, aquarum collectarum evacuatio: quàm feliciter verò hæc à purgantibus fortiſſimè ſtimulantibus, (ut ſunt ea cl. 4. § xxx. enumerata) perficiatur, nemini certe in arte medica vel minimè verſato latet. Obſervatur enim, ſi horum uſus nil adjumenti adferat, morbum lethalem eſſe *(a)*. Hiſce enim circuitus ſanguinis, vaſorum oſcillatio & elaſticitas augentur, vaſa abſorbentia majore efficaciâ ſua munera exſequuntur, aquæ extravaſatæ

(*a*) Will. phar. rat. § 2. cap. iii. n. 17. de aſcite.

ſatæ iterum intra leges circuitionis aſſumuntur, ad inteſtinales glandulas determinantur, ibique mirâ illâ quantitate, ut à practicis narratur, è corpore excernuntur. Omnia verò cathartica hæc acriora corpus multum debilitant: quapropter in hoc morbo, neceſſe eſt, peractâ eorum operatione, remedia paregorica, reſtaurantia, viſcera corroborantia exhibere. Hiſce enim omiſſis, aut purgantibus mitioribus uſurpatis, malum perpetuò augetur *(a)*.

LXII. Suprà jam affirmatum eſt, quòd circuitu ſanguinis aucto, vel irritatione quavis vaſis communicatâ, abſorbentia ſua munera majore efficaciâ exſequantur; id quod & ab experientia certiſſimè comprobatur. Cujus phænomeni poteſtne hæc eſſe ratio, quod dum elaſticitas vaſorum laterum imminuitur, eorum orificia quaſi collabantur, aut ſaltem in ovalem figuram, circulo minus capacem, convertantur? Verum ſtimulo vaſis admoto, eorum elaſticitas augebitur, orificia in circuli formam redacta magis patula devenient, liquida faciliùs per ea penetrabunt; quinimo etiam, auctâ eorum oſcillatione, fluida majori vi & celeritate verſus cor propellentur: unde minor erit, ad extremitates venarum, reſiſtentia liquoribus illis intrantibus.

Corol. Hinc ſolutio illius problematis, quod quibuſdam adeo obſcurum viſum eſt, cur fluida extravaſata, per emetica & purgantia tam facile ex corpore eliminentur.

LXIII. Sanctorianâ perſpiratione, renum excretione, aut aliis quibuſcunque liquidorum excretionibus impeditis, major fit humorum effluxus verſus glandulas inteſtinales; inde frequentes liquidæ alvi dejectiones, diarrhææ nomine appellatæ, oriuntur. Eidem etiam morbo originem præbent magna quantitas ſeroſæ colluviei, vaſa omnia interna obſidens, excretoria glandularum inteſtinorum nimis laxa reddita. Si malum hocce diuturnum fuerit, viſcera chylopoëtica primò debilitat, dein totum corpus emaciat, mortemque inopinam producit.

LXIV. Morbus, quatenus inteſtinorum refert, præcipuè ſanatur ope remediorum adſtringentium; quæ verò, ſi nimis citò uſurpentur, dum ſciz. glandulæ inteſtinorum cum ſuis emunctoriis ſeroſâ hâc illuvie turgent, plurimum metuendum eſt, ne

G ſchirro,

(a) Sydenh. de hydropi.

ſchirro, cancrove, cum diris ſuis cruciatibus, primordia præbeant. Cathartico autem primùm exhibito, quo glandulæ exoneratæ ſint, adſtringentia quidem feliciter adhibentur. Ea cathartica, quæ, præter facultates ſuas purgantes, etiam quibuſdam adſtringentibus pollent, huic morbo quàm maximè adaptantur. Talia ſunt rhæi radix, myrobalanorum fructus, & quædam alia vitriolata & metallica (*a*).

LXV. Idem ferè morbus, dolore autem magno in inteſtinis comitatus, dyſenteria appellatur; qui præter ſupradictam § lxiii. aliam etiam mali cauſam agnoſcit, acrimoniam ſciz. humorum, vel vaſa interna aut inteſtina irritantem, quæ acrimonia ſæpiſſimè haud parum lenitur, & ex corpore eliminatur eccoproticis illis claſſe primâ, § xxx. enumeratis.

LXVI. Ubi à quacunque cauſa, major ſolito, vel quàm ſanitati convenit, humorum efluxus in aliquam corporis partem exoritur, inde in inteſtina catharticorum uſu determinari poteſt. Hinc cathartica ſæpiſſimè proſunt in nimia ſalivationis, fluoris albi, gonorrhææ ſtillicidii, aut tuſſis puerorum convulſivæ curatione.

Ex innumeris ferè morbis, ad quos medendos cathartica feliciter adhibentur, hæc pauca capita generalia perpendenda ſelegi. Nequaquam tamen hæc ita intelligi velim, ac ſi purgantia ſola ad hos morbos depellendos idonea eſſent: interdum enim remedia ab hiſce quàm maximè diverſa, immo omnino contraria plurimum ad ſanitatem conducunt. De his aut uniuſcujuſque medicamenti cathartici naturâ, variis methodis illud componendi, præparandi & doſibus exhibendi, haud ab re foret fuſiùs diſſerere; ſed ad hæc omnia enumeranda dies deficeret.

(*a*) Boerh. de virib. med. part. III. cl. 2. cap. v. No. 4. Pechilin. de purg. facult. cap. vii. p. 55. Id. cap. xiv. p. 92.

F I N I S.